



 *Ministero dell'Istruzione, Università e Ricerca*



Ufficio XI - Brescia

*con il patrocinio di USR Lombardia - Ufficio XI
Ambito Territoriale di Brescia*

COLLOQUI / COLLOQVI

quod tu in docendo potes...

7

sabato 8, domenica 9 e lunedì 10 ottobre 2011

Casa di accoglienza "Il Carmine"

S. Felice del Benaco (BS)



Benaci Sinus felix (San Felice del Benaco)

M. Tullius Cicero • Cornelius Nepos • C. Sallustius Crispus • P. Vergilius Maro
Q. Horatius Flaccus • P. Ovidius Naso • C. Petronius Arbiter
M. Annaeus Lucanus • C. Plinius Caecilius Secundus
L. Apuleius Madaurensis • Aulus Gellius
Passio SS. Perpetuae et Felicitatis
Sanctus Gregorius Magnus

DE SANCTIS DAEMONIBVS DAEMONIIS

EX ORDINATRO CLAVDII DIDYMI DVBITATII
Ad Collem cyparissorum, MMXI
Absque superiorum permissu

M. Tulli Ciceronis <i>De re publica</i> liber sextus	1
Cornelii Nepotis <i>De latinis historicis</i> liber: <i>Cato</i>	3
G. Sallusti Crispi <i>De Catilinae coniuratione</i> liber	4
P. Vergilii Maronis <i>Aeneidos</i> liber sextus	5
Q. Horatii Flacci <i>Epodon</i> liber, 5	7
Q. Horatii Flacci <i>Sermonum</i> liber I, 8.....	10
P. Ovidii Nasonis <i>Fastorum</i> liber quintus	12
P. Ovidii Nasonis <i>Fastorum</i> liber sextus.....	13
C. Petronii Arbitri <i>Satyricon</i> liber	15
M. Annaei Lucani <i>De bello civili</i> liber sextus	16
C. Plinii Caecilii Secundi <i>Epistularum</i> liber septimus, 27	18
L. Apuleii Madaurensis <i>De Deo Socratis</i> liber singularis	20
Auli Gellii <i>Noctes Atticae</i>	22
<i>Passio SS. Perpetuae et Felicitatis</i>	23
Sancti Gregorii Magni <i>Dialogorum</i> libri quattor.....	25

M. Tulli Ciceronis *De re publica* liber sextus

[12] Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam cum aetas tua septenos octiens solis anfractus reditusque converterit, duoque ii numeri, quorum uterque plenus alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas, te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur, tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus, ac, ne multa, dictator rem publicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamasset Laelius ingemuissentque vehementius ceteri, leniter arridens Scipio: St! quaeso, inquit, ne me e somno excitetis, et parumper audite cetera.

[13] Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto: omnibus, qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruuntur; nihil est enim illi principi deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur; harum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur.

[14] Hic ego, etsi eram perterritus non tam mortis metu quam insidiarum a meis, quaesivi tamen, viveretne ipse et Paulus pater et alii, quos nos extinctos arbitraremur. Immo vero, inquit, hi vivunt, qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt, vestra vero, quae dicitur, vita mors est. Quin tu aspicias ad te venientem Paulum patrem? Quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi, ille autem me complexus atque osculans flere prohibebat.

[15] Atque ego ut primum fletu represso loqui posse coepi, Quaeso, inquam, pater sanctissime atque optime, quoniam haec est vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero?

Non est ita, inquit ille. Nisi enim deus is, cuius hoc templum est omne, quod conspicias, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur, iisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis, quae globosae et rotundae, divinis animatae mentibus, circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili.

Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus animus est in custodia corporis nec iniussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum adsignatum a deo defugisse videamini.

[16] Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est; ea vita via est in caelum et in hunc coetum eorum, qui iam vixerunt et corpore laxati illum incolunt locum, quem vides, (erat autem is splendidissimo candore inter flammās circus elucens) quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis; ex quo omnia mihi contemplanti praeclara cetera et mirabilia videbantur.

Cornelii Nepotis *De latinis historicis* liber: Cato

[2] Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. 2 Ibi cum diutius moraretur, P. Scipio Africanus, consul iterum, cuius in priori consulatu quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere et ipse ei succedere neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio principatum in civitate obtineret, quod tum non potentia, sed iure res publica administrabatur. Qua ex re iratus senatu, consulatu peracto privatus in urbe mansit. 3 At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit et multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae iam tum incipiebat pullulare. 4 Circiter annos octoginta, usque ad extremam aetatem ab adolescentia, rei publicae causa suscipere inimicitias non destitit. A multis temptatus non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

[3] In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers et peritus iuris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit. 2 Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit.

G. Sallusti Crispi *De Catilinae coniuratione* liber

LIV

[1] Igitur iis genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. [2] Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. [3] Caesar dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. in altero miseris perfugium erat, in altero malis perniciēs. illius facilitas, huius constantia laudabatur. [4] postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. [5] at Catoni studium modestiae, decoris, sed maxime severitatis erat; [6] non divitiis cum divite neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinētia certabat; esse quam videri bonus malebat: ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illum adsequebatur.

P. Vergilii Maronis *Aeneidos* liber sextus

His demum exactis, perfecto munere divae,
devenere locos laetos et amoena virecta
fortunatorum nemorum sedesque beatas.
640 largior hic campos aether et lumine vestit
purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.
pars in gramineis exercent membra palaestris,
contendunt ludo et fulva luctantur harena;
pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt.
645 nec non Threicius longa cum veste sacerdos
obloquitur numeris septem discrimina vocum,
iamque eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.
hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
magnanimi heroes nati melioribus annis,
650 Ilusque Assaracusque et Troiae Dardanus auctor.
arma procul currusque virum miratur inanis;
stant terra defixae hastae passimque soluti
per campum pascuntur equi. quae gratia currum
armorumque fuit vivis, quae cura nitentis
655 pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra laevaue per herbam
vescentis laetumque choro paeana canentis
inter odoratum lauris nemus, unde superne
plurimus Eridani per silvam volvitur amnis.
660 hic manus ob patriam pugnando vulnera passi,
quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
quique pii vates et Phoebos digna locuti,
inventas aut qui vitam excoluere per artis
quique sui memores aliquos fecere merendo:
665 omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
quos circumfusus sic est adfata Sibylla,
Musaeum ante omnis (medium nam plurima turba
hunc habet atque umeris exstantem suspicit altis):
«dicite, felices animae tuque optime vates,

670 quae regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
venimus et magnos Erebi tranavimus amnis.»
atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
«nulli certa domus; lucis habitamus opacis,
riparumque toros et prata recentia rivis
675 incolimus. sed vos, si fert ita corde voluntas,
hoc superate iugum, et facili iam tramite sistam.»
dixit, et ante tulit gressum camposque nitentis
desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.

Q. Horatii Flacci *Epodon liber, 5*

- «At o deorum quidquid in caelo regit
terrās et humanum genus,
quid iste fert tumultus? aut quid omnium
vultus in unum me truces?
- 5 per liberos te, si vocata partibus
Lucina veris adfuit,
per hoc inane purpurae decus precor,
per improbaturum haec Iovem,
quid ut noverca me intueris aut uti
- 10 petita ferro belua?»
ut haec trementi questus ore constitit
insignibus raptis puer,
impube corpus, quale posset impia
mollire Thracum pectora:
- 15 Canidia brevibus implicata viperis
crinis et incomptum caput,
iubet sepulcris caprificos erutas,
iubet cupressos funebris
et uncta turpis ova ranae sanguine
- 20 plumamque nocturnae strigis
herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
mittit venenorum ferax,
et ossa ab ore rapta ieiunae canis
flammis aduri Colchicis.
- 25 at expedita Sagana, per totam domum
spargens Avernalis aquas,
horret capillis ut marinus asperis
echinus aut currens aper.
abacta nulla Veia conscientia
- 30 ligonibus duris humum
exhauriebat, ingemens laboribus,
quo posset infossus puer
longo die bis terque mutatae dapis

inemori spectaculo,
35 cum promineret ore, quantum exstant aqua
suspensa mento corpora;
exsecta uti medulla et aridum iecur
amoris esset poculum,
interminato cum semel fixae cibo
40 intabuissent pupulae.
non defuisse masculae libidinis
Ariminensem Foliam
et otiosa credidit Neapolis
et omne vicinum oppidum,
45 quae sidera excantata voce Thessala
lunamque caelo deripit.
hic inresectum saeva dente livido
Canidia rodens pollicem
quid dixit aut quid tacuit? «o rebus meis
50 non infideles arbitrae,
Nox et Diana, quae silentium regis,
arcana cum fiunt sacra,
nunc, nunc adeste, nunc in hostilis domos
iram atque numen vertite.
55 formidulosis cum latent silvis ferae
dulci sopore languidae,
senem, quod omnes rideant, adulterum
latrent Suburanae canes
nardo perunctum, quale non perfectius
60 meae laborarint manus.
quid accidit? cur dira barbarae minus
venena Medae valent,
quibus superbam fugit ulta paelicem,
magni Creontis filiam,
65 cum palla, tabo munus imbutum, novam
incendio nuptam abstulit?
atqui nec herba nec latens in asperis
radix fefellit me locis:
indormit unctis omnium cubilibus
70 oblivione paelicum?
ah, ah, solutus ambulat veneficae
scientioris carmine.
non usitatis, Vare, potionibus,
o multa fleturum caput,

75 ad me recurres nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
maius parabo, maius infundam tibi
fastidienti poculum
priusque caelum sidet inferius mari
80 tellure porrecta super
quam non amore sic meo flagres uti
bitumen atris ignibus.»
sub haec puer iam non, ut ante, mollibus
lenire verbis impias,
85 sed dubius unde rumperet silentium,
misit Thyesteas preces:
«venena magnum fas nefasque, non valent
convertere humanam vicem.
diris agam vos: dira detestatio
90 nulla expiatur victima.
quin, ubi perire iussus exspiravero,
nocturnus occurram furor
petamque voltus umbra curvis unguibus,
quae vis deorum est Manium,
95 et inquietis adsidens praecordiis
pavore somnos auferam.
vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
contundet obscaenas anus;
post insepulta membra different lupi
100 et Esquilinae alites
neque hoc parentes, heu mihi superstites,
effugerit spectaculum.»

Q. Horatii Flacci *Sermonum liber I, 8*

[...]

cum mihi non tantum furesque feraeque suetae
hunc vexare locum curae sunt atque labori,
quantum carminibus quae versant atque venenis

20 humanos animos: has nullo perdere possum
nec prohibere modo, simul ac vaga luna decorum
protulit os, quin ossa legant herbasque nocentis.

vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis passoque capillo,

25 cum Sagana maiore ululantem: pallor utrasque
fecerat horrendas adspectu. scalpere terram
unguibus et pullam divellere mordicus agnam
coeperunt; cruor in fossam confusus, ut inde
manis elicerent animas responsa daturas.

30 lanea et effigies erat altera cerea: maior
lanea, quae poenis conpesceret inferiorem,
cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae
iam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
altera Tisiphonen: serpentes atque videres

35 infernas errare canes Lunamque rubentem,
ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
mentior at siquid, merdis caput inquiner albis
corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum
<U>lius et fragilis Pediatia furque Voranus.

40 singula quid memorem, quo pacto alterna loquentes
umbrae cum Sagana resonarint triste et acutum,
utque lupi barbam variae cum dente colubrae
abdiderint furtim terris et imagine cerea
largior arserit ignis, et ut non testis inultus

45 horruerim voces furiarum et facta duarum?

nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
diffissa nate ficus; at illae currere in urbem.

Canidiae dentis, altum Saganae caliendrum
excidere atque herbas atque incantata lacertis

50 vincula cum magno risuque iocoque videres.

P. Ovidii Nasonis *Fastorum* liber quintus

Praestitibus Maiiae Laribus videre Kalendae
130 aram constitui parvaque signa deum:
voverat illa quidem Curius, sed multa vetustas
destruit; et saxo longa senecta nocet.
causa tamen positi fuerat cognominis illis
quod praestant oculis omnia tuta suis:
135 stant quoque pro nobis et praesunt moenibus Urbis,
et sunt praesentes auxiliumque ferunt.
at canis ante pedes saxo fabricatus eodem
stabat: quae standi cum Lare causa fuit?
servat uterque domum, domino quoque fidus uterque:
140 compita grata deo, compita grata cani.
exagitant et Lar et turba Diania fures:
pervigilantque Lares, pervigilantque canes.
bina gemellorum quaerebam signa deorum
viribus annosae facta caduca morae:
145 mille Lares Geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet, et vici numina terna colunt.

P. Ovidii Nasonis *Fastorum* liber sextus

sunt avidae volucres, non quae Phineia mensis
guttura fraudabant, sed genus inde trahunt:
grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinis;
canities pennis, unguibus hamus inest;
135 nocte volant puerosque petunt nutricis egentes,
et vitiant cunis corpora rapta suis;
carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
et plenum poto sanguine guttur habent.
est illis strigibus nomen; sed nominis huius
140 causa quod horrenda stridere nocte solent.
sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt
neniaque in volucres Marsa figurat anus,
in thalamos venere Procae: Proca natus in illis
praeda recens avium quinque diebus erat,
145 pectoraque exsorbent avidis infantia linguis;
at puer infelix vagit opemque petit.
terrata voce sui nutrix accurrit alumni,
et rigido sectas invenit ungue genas.
quid faceret? color oris erat qui frondibus olim
150 esse solet seris, quas nova laesit hiems.
pervenit ad Cranaen, et rem docet. illa 'timorem
pone: tuus sospes' dixit 'alumnus erit.'
venerat ad cunas; flebant materque paterque:
'sistite vos lacrimas, ipsa medebor' ait.
155 protinus arbuta postes ter in ordine tangit
fronde, ter arbuta limina fronde notat,
spargit aquis aditus (et aquae medicamen habebant)
extaque de porca cruda bimenstre tenet,
atque ita 'noctis aves, extis puerilibus' inquit

160 'parcite: pro parvo victima parva cadit.
cor pro corde, precor, pro fibris sumite fibras:
hanc animam vobis pro meliore damus.'
sic ubi libavit, prosecta sub aethere ponit,
quique adsint sacris respicere illa vetat:
165 virgaque Ianalís de spina subditur alba,
qua lumen thalamis parva fenestra dabat.
post illud nec aves cunas violasse feruntur,
et rediit puero qui fuit ante color.

C. Petronii Arbitri *Satyricon* liber

[LXIII] ...”Cum adhuc capillatus essem, nam a puero vitam Chiam gessi, ipsimi nostri delicatus decessit, mehercules margaritum, <sacritus> et omnium numerum. Cum ergo illum mater misella plangeret et nos tum plures in tristimonio essemus, subito <stridere> strigae coeperunt; putares canem leporem persequi. Habebamus tunc hominem Cappadocem, longum, valde audaculum et qui valebat: poterat bovem iratum tollere. Hic audacter stricto gladio extra ostium procucurrit, involuta sinistra manu curiose, et mulierem tanquam hoc loco — salvum sit, quod tango! — mediam traiecit. Audimus gemitum, et — plane non mentiar — ipsas non vidimus. Baro autem noster introversus se proiecit in lectum, et corpus totum lividum habebat quasi flagellis caesus, quia scilicet illum tetigerat mala manus. Nos cluso ostio redimus iterum ad officium, sed dum mater amplexaret corpus filii sui, tangit et videt manuciolum de stramentis factum. Non cor habebat, non intestina, non quicquam: scilicet iam puerum strigae involaverant et supposuerant stramenticium vavatonem. Rogo vos, oportet credatis, sunt mulieres plussciae, sunt Nocturnae, et quod sursum est, deorsum faciunt. Ceterum baro ille longus post hoc factum nunquam coloris sui fuit, immo post paucos dies freneticus periit.”

M. Annaei Lucani *De bello civili* liber sextus

Semina fecundae segetis calcata perussit
et non letiferas spirando perdidit auras.
nec superos orat nec cantu supplice numen
auxiliare vocat nec fibras illa litantis
525 novit: funereas aris inponere flammās
gaudet et accenso rapuit quae tura sepulchro.
omne nefas superi prima iam voce precantis
concedunt carmenque timent audire secundum.
viventis animas et adhuc sua membra regentis
530 infodit busto, fatis debentibus annos
mors invita subit; perversa funera pompa
rettulit a tumulis, fugere cadavera letum.
fumantis iuvenum cineres ardentiaque ossa
e mediis rapit illa rogis ipsamque parentes
535 quam tenuere facem, nigroque volantia fumo
feralis fragmenta tori vestesque fluentis
colligit in cineres et olentis membra favillas.
ast, ubi servantur saxis, quibus intimus umor
ducitur, et tracta durescunt tabe medullae
540 corpora, tunc omnis avide desaevit in artus
inmergitque manus oculis gaudetque gelatos
effodisse orbes et siccae pallida rodit
excrementa manus. laqueum nodosque nocentis
ore suo rupit, pendentia corpora carpsit
545 abrasitque cruces percussaque viscera nimbis
volsit et incoctas admisso sole medullas.
insertum manibus chalybem nigramque per artus
stillantis tabi saniem virusque coactum
sustulit et nervo morsus retinente pependit.
550 et, quodcumque iacet nuda tellure cadaver,

ante feras volucresque sedet; nec carpere membra
 volt ferro manibusque suis, morsusque luporum
 expectat siccis raptura e faucibus artus.
 nec cessant a caede manus, si sanguine vivo
 555 est opus, erumpat iugulo qui primus aperto,
 [nec refugit caedes, vivum si sacra cruorem]
 extaque funerae poscunt trepidantia mensae.
 vulnere sic ventris, non qua natura vocabat,
 extrahitur partus calidis ponendus in aris;
 560 et quotiens saevis opus est ac fortibus umbris
 ipsa facit manes. hominum mors omnis in usu est.
 illa genae florem primaevo corpore volsit,
 illa comam laeva morienti abscidit ephebo.
 saepe etiam caris cognato in funere dira
 565 Thessalis incubuit membris atque oscula figens
 truncavitque caput conpressaque dentibus ora
 laxavit siccoque haerentem gutture linguam
 praemordens gelidis infudit murmura labris
 arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras.
 570 hanc ut fama loci Pompeio prodidit, alta
 nocte poli, Titan medium quo tempore ducit
 sub nostra tellure diem, deserta per arva
 carpit iter. fidi scelerum suetique ministri
 effractus circum tumulos ac busta vagati
 575 conspexere procul praerupta in caute sedentem,
 qua iuga devexus Pharsalica porrigit Haemus.
 illa magis magicisque deis incognita verba
 temptabat carmenque novos fingeat in usus.
 namque timens, ne Mars alium vagus iret in orbem
 580 Emathis et tellus tam multa caede careret,
 pollutos cantu dirisque venefica sucis
 conspersos vetuit transmittere bella Philippos,
 tot mortes habitura suas usuraque mundi
 sanguine: caesorum truncare cadavera regum
 585 sperat et Hesperiae cineres avertere gentis
 ossaque nobilium tantosque adquirere manes.

C. Plinii Caecili Secundi *Epistularum liber septimus, 27*

C. Plinius Surae Suo S.

[1] Et mihi discendi et tibi docendi facultatem otium praebet. Igitur perquam velim scire, esse phantasmata et habere propriam figuram numenque aliquod putes an inania et vana ex metu nostro imaginem accipere. [2] Ego ut esse credam in primis eo ducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc et obscurus, obtinenti Africam comes haeserat. Inclinato die spatiabatur in porticu; offertur ei mulieris figura humana grandior pulchriorque. Perterrito Africam se futurorum praenuntiam dixit: iturum enim Romam honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eandem provinciam reversurum, ibique moriturum. [3] Facta sunt omnia. Praeterea accedenti Carthaginem egredientique nave eadem figura in litore occurrisset narratur. Ipse certe implicitus morbo futura praeteritis, adversa secundis auguratus, spem salutis nullo suorum desperante proiecit. [4] Iam illud nonne et magis terribile et non minus mirum est quod exponam ut accepi? [5] Erat Athenis spatiosa et capax domus sed infamis et pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, et si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie et squalore confectus, promissa barba horrenti capillo; cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. [6] Inde inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur; vigiliam morbus et crescente formidine mors sequebatur. Nam interdum quoque, quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat, longiorque causis timoris timor erat. Deserta inde et damnata solitudine domus totaque illi monstro relicta; proscribatur tamen, seu quis emere seu quis conducere ignarus tanti mali vellet. [7] Venit Athenas philosophus Athenodorus, legit titulum auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus omnia docetur ac nihilo minus, immo tanto magis conducit. Ubi coepit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares stilum lumen, suos omnes in interiora dimittit; ipse ad scribendum animum oculos manum intendit, ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingeret. [8] Initio, quale ubique, silentium noctis; dein concuti ferrum, vincula moveri. Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed offirmare animum auribusque praetendere. Tum crebescere fragor, adventare et iam ut in limine, iam ut intra limen audiri. Respicit, videt agnoscitque narratam sibi effigiem. [9] Stabat innuebatque digito similis vocanti.

Hic contra ut paulum exspectaret manu significat rursusque ceris et stilo incumbit. Illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem quod prius innuentem, nec moratus tollit lumen et sequitur. [10] Ibat illa lento gradu quasi gravis vinculis. Postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. Desertus herbas et folia concerpta signum loco ponit. [11] Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi iubeant. Inveniuntur ossa inserta catenis et implicita, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat vinculis; collecta publice sepeliuntur. Domus postea rite conditis manibus caruit.[12] Et haec quidem affirmantibus credo; illud affirmare aliis possum. Est libertus mihi non illitteratus. Cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quendam in toro residentem, admoventemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Ubi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli iacentes reperiuntur. [13] Exiguum temporis medium, et rursus simile aliud priori fidem fecit. Puer in paedagogio mixtus pluribus dormiebat. Venerunt per fenestras (ita narrat) in tunicis albis duo cubantemque detonderunt et qua venerant recesserunt. Hunc quoque tonsum sparsosque circa capillos dies ostendit. [14] Nihil notabile secutum, nisi forte quod non fui reus, futurus, si Domitianus sub quo haec acciderunt diutius vixisset. Nam in scrinio eius datus a Caro de me libellus inventus est; ex quo coniectari potest, quia reis moris est summittere capillum, recisos meorum capillos depulsi quod imminebat periculi signum fuisse.[15] Proinde rogo, eruditionem tuam intendas. Digna res est quam diu multumque consideres; ne ego quidem indignus, cui copiam scientiae tuae facias. [16] Licet etiam utramque in partem (ut soles) disputes, ex altera tamen fortius, ne me suspensum incertumque dimittas, cum mihi consulendi causa fuerit, ut dubitare desinerem. Vale.

L. Apuleii Madaurensis *De Deo Socratis* liber singularis

[6] Non usque adeo - responderit enim Plato pro sententia sua mea voce - non usque adeo, inquit, seiunctos et alienatos a nobis deos praedico, ut ne vota quidem nostra ad illos arbitrer pervenire. Neque enim illos a cura rerum humanarum, sed contrectatione sola removi. Ceterum sunt quaedam divinae mediae potestates inter summum aethera et infimas terras in isto intersitae aëris spatio, per quas et desideria nostra et merita ad eos commeant. Hos Graeci nomine daemones nuncupant, inter <terrícolas> caelícolasque vectores hinc precum inde donorum, qui ultro citro portant hinc petitiones inde suppetias ceu quidam utri[us]que interpretes et salutigeri. Per hos eosdem, ut Plato in Symposio autumat, cuncta denuntiata et magorum varia miracula omnesque praesagiorum species reguntur. Eorum quippe de numero praediti curant singuli [eorum], proinde ut est cuique tributa provincia, vel somniis conformandis vel extis fissiculandis vel praepetibus gubernandis vel oscinibus erudiendis vel vatibus inspirandis vel fulminibus iaculandis vel nubibus coruscandis ceterisque adeo, per quae futura dinoscimus. Quae cuncta caelestium voluntate et numine et auctoritate, sed daemonum obsequio et opera et ministerio fieri arbitrandum est.

[10] Quod si nubes sublime volitant, quibus omnis et exortus est terrenus et retro defluxus in terras, quid tandem censes daemonum corpora, quae sunt concretio multo tanta subtilior? Non enim ex hac faeculenta nubecula et umida caligine conglobata, sicuti nubium genus est, sed ex illo purissimo aëris liquido et sereno elemento coalita eoque nemini hominum temere visibilia, nisi divinitus speciem sui offerant, quod nulla in illis terrena soliditas locum luminis occuparit, quae nostris oculis possit obsistere, qua soliditate necessario offensa acies inmoretur, sed fila corporum possident rara et splendida et tenuia usque adeo ut radios omnis nostri tuoris et raritate transmittant et splendore reverberent et subtilitate frustrentur. Hinc est illa Homerica Minerva, quae mediis coetibus Graium cohibendo Achilli intervenit. Versum Graecum, si paulisper opperiamini, Latine enuntiabo, - atque adeo hic sit inpraesentiarum: Minerva igitur, ut dixi, Achilli moderando iussu Iunonis advenit:

soli perspicua est, aliorum nemo tuetur. (*Hom. Il. 1, 198*)

Hinc et illa Vergiliana Iuturna, quae mediis milibus auxiliabunda fratri conversatur

miscetque viris neque cernitur ulli, (*Verg. Aen. 1, 440*)
prorsus quod Plautinus miles super clipeo suo gloriatur,
praestringens oculorum aciem hostibus. (*Plaut. Mil. 4*)

[11] Ac ne ceteros longius persequar, ex hoc ferme daemonum numero poetae solent haudquaquam procul a veritate osiores et amatores quorundam hominum deos fingere: hos prosperare et evehere, illos contra adversari et adfligere; igitur et misereri et indignari et angere et laetari omnemque humani animi faciem pati, simili motu cordis et salo mentis ad omnes cogitationum aestus fluctuare, quae omnes turbulae tempestatesque procul a deorum caelestium tranquillitate exulant. Cuncti enim caelites semper eodem statu mentis aeterna aequabilitate potiuntur, qui numquam illis nec ad dolorem versus nec ad voluptatem finibus suis pellitur nec quoquam a sua perpetua secta ad quempiam subitum habitum demovetur

[13] Sed et haec cuncta et id genus cetera daemonum mediocritati rite congruunt. Sunt enim inter nos ac deos ut loco regionis ita ingenio mentis intersiti, habentes communem cum superis immortalitatem, cum inferis passionem. Nam proinde ut nos pati possunt omnia animorum placamenta vel incitamenta, ut et ira incitentur et misericordia flectantur et donis invitentur et precibus leniantur et contumeliis exasperentur et honoribus mulceantur aliisque omnibus ad similem nobis modum varient. Quippe, ut fine conprehendam, daemones sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aëria, tempore aeterna. Ex his quinque, quae commemoravi, tria a principio eadem quae nobis sunt, quartum proprium, postremum commune cum diis immortalibus habent, sed differunt ab his passione. Quae propterea passiva non absurde, ut arbitror, nominavi, quod sunt iisdem, quibus nos,urbationibus mentis obnoxii.

Auli Gellii Noctes Atticae

IV. De barbararum gentium prodigiosis miraculis; deque diris et exitiosis effascinationibus; atque inibi de feminis repente versis in mares.

I. Cum e Graecia in Italiam rediremus et Brundisium iremus egressique e navi in terram in portu illo inclito spatiaremur, quem Q. Ennius remotiore paulum, sed admodum scito vocabulo “praepetem” appellavit, fascēs librorum venalium expositos vidimus. II. Atque ego avide statim pergo ad libros. III. Erant autem isti omnes libri Graeci miraculorum fabularumque pleni, res inauditae, incredulae, scriptores veteres non parvae auctoritatis:.... IV. ipsa autem volumina ex diutino situ squalabant et habitu aspectuque taetro erant. V. Accessi tamen percontatusque pretium sum et adductus mira atque insperata vilitate libros plurimos aere paucō emo eosque omnis duabus proximis noctibus cursim transeo; atque in legendo carpsi exinde quaedam et notavi mirabilia et scriptoribus fere nostris intemptata eaque his commentariis aspersi, ut, qui eos lectitabit, is ne rudis omnino et anezōos inter istiusmodi rerum auditiones reperiatur:.... VII. Id etiam in isdem libris scriptum offendimus, quod postea in libro quoque Plinii Secundi naturalis historiae septimo legi, esse quasdam in terra Africa hominum familias voce atque lingua effascinantium, qui si impensius forte laudaverint pulchras arbores, segetes laetiores, infantes amoeniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu opimas, emoriantur repente haec omnia nulli aliae causae obnoxia. VIII. Oculis quoque exitialem fascinationem fieri in isdem libris scriptum est, traditurque esse homines in Illyriis, qui interimant videndo, quos diutius irati viderint, eosque ipsos mares feminasque, qui visu tam nocenti sunt, pupillas in singulis oculis binas habere.

Passio SS. Perpetuae et Felicitatis

[2] Apprehensi sunt adolescentes catechumeni, Reuocatus et Felicitas, conserua eius, Saturninus et Secundulus. Inter hos et Vibia Perpetua, honeste nata, liberaliter instituta, matronaliter nupta, 2. habens patrem et matrem et fratres duos, alterum aeque catechumenum, et filium infantem ad ubera. 3. erat autem ipsa circiter annorum uiginti duo. haec ordinem totum martyrii sui iam hinc ipsa narrauit sicut conscriptum manu sua et suo sensu reliquit. [3] Cum adhuc, inquit, cum prosecutoribus essemus et me pater uerbis euertere cupiret et deicere pro sua affectione perseueraret: Pater, inquam, uides uerbi gratia uas hoc iacens, urceolum siue aliud? et dixit: Video. 2. et ego dixi ei: Numquid alio nomine uocari potest quam quod est? et ait: Non. sic et ego aliud me dicere non possum nisi quod sum, Christiana. 3. tunc pater motus hoc uerbo mittit se in me ut oculos mihi erueret, sed uexauit tantum et profectus est uictus cum argumentis diaboli. 4. tunc paucis diebus quod caruissem patre, domino gratias egi et refrigeraui absentia illius. 5. in ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus, et mihi Spiritus dictauit non aliud petendum ab aqua nisi sufferentiam carnis....ego infantem lactabam iam inedia defectum; sollicita pro eo adloquebar matrem et confortabam fratrem, commendabam filium; tabescebam ideo quod illos tabescere uideram mei beneficio. 9. tales sollicitudines multis diebus passa sum; et usurpauit ut mecum infans in carcere maneret; et statim conualui et releuata sum a labore et sollicitudine infantis, et factus est mihi carcer subito praetorium, ut ibi malletem esse quam alicubi.

[10] Pridie quam pugnaremus, uideo in horomate (*visione*) hoc: uenisse Pomponium diaconum ad ostium carceris et pulsare uehementer. 2. et exiui ad eum et aperui ei; qui erat uestitus discincta candida, habens multiplices galliculas (*calceamenta gallica*). 3. et dixit mihi: Perpetua, te expectamus; ueni. et tenuit mihi manum et coepimus ire per aspera loca et flexuosa. 4. uix tandem peruenimus anhelantes ad amphitheatrum et induxit me in media arena et dixit mihi: Noli pauere. hic sum tecum et conlaboro tecum. et abiit. 5. et aspicio populum ingentem adtonitum; et quia sciebam me ad bestias

damnatam esse, mirabar quod non mitterentur mihi bestiae. 6. et exiuit quidam contra me Aegyptius foedus specie cum adiutoribus suis pugnaturus mecum. ueniunt et ad me adolescentes decori, adiutores et fautores mei. 7. et expoliata sum et facta sum masculus; et coeperunt me fauiores (*fautores*) mei oleo defricare, quomodo solent in agone. et illum contra Aegyptium uideo in afa uolutantem. 8. et exiuit uir quidam mirae magnitudinis ut etiam excederet fastigium amphitheatri, discinctatus, purpuram inter duos clauos per medium pectus habens, et galliculas multiformes ex auro et argento factas, et ferens uirgam quasi lanista, et ramum uiridem in quo erant mala aurea. 9. et petiit silentium et dixit: Hic Aegyptius, si hanc uicerit, occidet illam gladio; haec, si hunc uicerit, accipiet ramum istum. 10. et recessit. et accessimus ad inuicem et coepimus mittere pugnos. ille mihi pedes adprehendere uolebat; ego autem illi calcibus faciem caedebam. 11. et sublata sum in aere et coepi eum sic caedere quasi terram non calcans. at ubi uidi moram fieri, iunxi manus ut digitos in digitos mitterem et apprehendi illi caput; et cecidit in faciem et calcaui illi caput. 12. et coepit populus clamare et fauiores mei psallere. et accessi ad lanistam et accepi ramum. 13. et osculatus est me et dixit mihi: Filia, pax tecum. et coepi ire cum gloria ad portam Sanauiuariam. et experrecta sum. 14. et intellexi me non ad bestias, sed contra diabolum esse pugnaturam; sed sciebam mihi esse uictoriam. ...

[15] Circa Felicitatem uero et illi gratia domini eiusmodi contigit. 2. cum octo iam mensium uentrem haberet (nam praegnans fuerat adprehensa), instante spectacula die in magno erat luctu ne propter uentrem differretur (quia non licet praegnantes poenae repraesentari) et ne inter alios postea sceleratos sanctum et innocentem sanguinem funderet. 3. sed et conmartyles grauiter contristabantur ne tam bonam sociam quasi comitem solam in uia eiusdem spei relinquerent. 4. coniuncto itaque unito gemitu ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. 5. statim post orationem dolores inuaserunt. ... 7. ita enixa est puellam, quam sibi quaedam soror in filiam educauit.

[18] Illuxit dies uictoriae illorum, et processerunt de carcere in amphitheatrum quasi in caelum hilares, uultu decori, si forte gaudio pauentes non timore. 2. sequebatur Perpetua lucido uultu et placido incessu ut matrona Christi, ut Dei delicata, uigore oculorum deiciens omnium conspectum. 3. item Felicitas, saluam se peperisse gaudens ut ad bestias pugnaret, a sanguine ad sanguinem, ab obstetrice ad retiarium, lotura post partum baptismo secundo. ...

Sancti Gregorii Magni *Dialogorum* libri quattuor

I, 1 De Honorato abbate monasterii Fundensis

Venantii quondam patricii in Samnii partibus villa fuit, in qua colonus ejus filium Honoratum nomine habuit qui ab annis puerilibus ad amorem coelestis patriae per abstinentiam exarsit. Cumquemagna conversatione polleret, seque jam ab otioso quoque sermone restringeret, multumque, ut praefatus sum, per abstinentiam carnem domaret, die quadam parentes ejus vicinis suis convivium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratae sunt: quas dum ille ad esum contingere pro abstinentiae amore recusaret, coeperunt eum parentes ejus irridere, ac dicere: Comede; nunquid piscem in his montibus tibi allaturi sumus? Illa vero in loco pisces audiri consueverant, non videri. Sed cum his sermonibus Honoratus irrideretur, repente in convivio aqua ad ministerium defuit; et cum situla lignea, sicut illic moris est, mancipium ad fontem perrexit. Dumque hauriret aquam, piscis situlam intravit. Reversumque mancipium ante ora discumbentium piscem cum aqua fudit, qui ad totius diei victum potuisset Honorato sufficere. Mirati omnes, totaque illa parentum irrisio cessavit. Coepere namque in Honorato venerari abstinentiam, quam ante deridebant; sicque a Dei homine irrisiois deterisit opprobria piscis de monte. Qui cum magnis virtutibus cresceret, a praedicto domino suolibertate donatus est, atque in eo loco qui Fundis dicitur, monasterium construxit, in quo ducentorum ferme monachorum Pater exstitit, ibique vita illius circumquaque exempla eximiae conversationis dedit.

I, 2 De Libertino praeposito ejusdem monasterii.

In eadem provincia Samnii, quam supra memoravi, idem vir pro utilitate monasterii carpebat iter. Dumque Darida Gothorum dux cum exercitu in loco eodem venisset, Dei servus ex caballo in quo sedebat, ab hominibus ejus projectus est. Qui jumentum perditum damnum libenter ferens, etiam flagellum quod tenebat, diripientibus obtulit, dicens: Tollite, ut habeatis qualiter hoc jumentum minare possitis; quibus dictis protinus se in orationem dedit. Cursu autem rapido praedicti ducis exercitus pervenit ad fluvium, nomine Vulturum, ibique equos suos coeperunt singuli hastis tundere, et calcaribus cruentare; sed tamen equi verberibus caesi, calcaribus cruentati, fatigari

poterant, moveri non poterant; sicque aquam fluminis tangere quasi mortale praecipitium pertimescebant. Cumque diu caedendo sessorum singuli fatigarentur, unus eorum intulit, quia ex culpa quam servo Dei in via fecerant, illa sui itineris dispendia tolerabant.

Qui statim reversi, post se Libertinum reperiunt in oratione prostratum. Cui cum dicerent: Surge, tolle caballum tuum; ille respondit: Ite cum bono, ego caballo opus non habeo. Descendentes vero, invitum eum in cabellum de quo deposuerant, levaverunt, et protinus abscesserunt. Quorum equi tanto cursu illud quod prius non poterant transire flumen, transierunt, ac si ille fluminis alveus aquam minime haberet. Sicque factum est ut cum servo Dei unus caballus suus redditur, omnes a singulis reciperentur.

Eodem quoque tempore in Campaniae partibus Buccellinus cum Francis venit. De monasterio vero praefati famuli Dei rumor exierat, quod pecunias multas haberet. Ingressi oratorium Franci, coeperunt saevientes Libertinum quaerere, Libertinum clamare, ubi in oratione ille prostratus jacebat. Mira valde res: quaerentes, saevientesque Franci, ingredienti in ipso impingebant, et ipsum videre non poterant; sicque sua caecitate frustrati, a monasterio sunt vacui regressi.

Alio quoque tempore pro causa monasterii, abbatis jussu, qui Honorato ejus magistro successerat, Ravennam pergebat. Pro amore vero ejusdem venerabilis Honorati, quocunque Libertinus ibat, ejus semper caligulam in sinu portare consueverat. Itaque dum pergeret, accidit ut quaedam mulier extincti filii corpusculum ferret. Quae dum servum Dei fuisset intuita, amore filii succensa, jumentum ejus per frenum tenuit, atque cum juramento dixit: Nullatenus recedes, nisi filium meum suscitaveris. At ille inusitatum habens tale miraculum, expavit petitionis illius juramentum: declinare mulierem voluit, sed nequaquam praevalens, animo haesit.

Considerare libet quale quantumque in ejus pectore certamen fuerit. Ibi quippe pugnabat inter se humilitas conversationis, ac pietas matris: timor ne inusitata praesumeret, dolor ne orbatae mulieri non subveniret. Sed ad majorem Dei gloriam vicit pietas illud pectus virtutis, quod ideo fuit validum, quia devictum; virtutis enim pectus non esset, si hoc pietas non vicisset. Itaque descendit, genua flexit, ad coelum manus tetendit, caligulam de sinu protulit, et super extincti pueri pectus posuit. Quo orante, anima pueri ad corpus rediit: quem manu comprehendit, ac flenti matri viventem reddidit, atque iter quod coeperat peregit.

I, 3 De hortulano monacho monasterii ejusdem

In eodem monasterio quidam magnae vitae monachus erat hortulanus. Fur vero venire consueverat, per sepem ascendere, et occulte olera auferre.

Cumque ille multa plantaret, quae minus inveniret, et alia pedibus conculcata, alia direpta conspiceret; totum hortum circumiens, invenit iter unde fur venire consueverat. Qui in eodem horto deambulans, reperit etiam serpentem, cui praecipiens dixit: Sequere me: atque ad aditum furis perveniens, imperavit serpenti, dicens: In nomine Jesu praecipio tibi ut aditum istum custodias, ac furem huc ingredi non permittas. Protinus serpens totum se in itinere in transversum tetendit, et ad cellam monachus rediit.

Cumque meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur advenit, ascendit sepem; et cum in hortum pedem deponeret, vidit subito quia tensus serpens clausisset viam; et tremefactus post semetipsum concidit, ejusque pes per calceamentum in sude sepi inhaesit, sicque usque dum hortulanus rediret, deorsum capite pependit. Consueta hora venit hortulanus, pendentem in sepe furem reperit, serpenti autem dixit: Gratias Deo, implesti quod jussi; recede modo. Qui statim abscessit.

Ad furem vero perveniens, ait: Quid est, frater? Tradidit te mihi Deus. Quare in labore monachorum furtum toties facere praesumpsisti? Et haec dicens, pedem illius a sepe in qua inhaeserat, solvit, eumque sine laesione deposuit.

Cui dixit: Sequere me. Quem sequentem duxit ad horti aditum, et olera quae furto appetebat auferre, ei cum magna dulcedine praebuit, dicens: Vade, et post haec furtum non facias; sed cum necesse habes, huc ad me ingredi, et quae tu cum peccato laboras tollere, ego tibi devotus dabo.

I, 4. De Equitio abbate provinciae Valeriae

.....Quadam vero die una Dei famula ex eodem monasterio virginum hortum ingressa est: quae lactucam conspiciens concupivit, eamque signo crucis benedicere oblita, avide momordit; sed arrepta a diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem Patri Equitio sub celeritate nuntiatum est, ut veniret concitus, et orando succurreret. Moxque hortum idem Pater ut ingressus est, coepit ex ejus ore quasi satisfaciens ipse qui hanc arripuerat diabolus clamare, dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam mihi super lactucam; venit illa, et momordit me. Cui cum gravi indignatione vir Dei praecepit ut discederet, et locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam ultra contingere praevaluit.

III, 4. De Datio Mediolanensi episcopo

Ejusdem quoque principis tempore cum Datus Mediolanensis urbis episcopus causa fidei exactus, ad Constantinopolitanam urbem pergeret, Corinthum devenit. Qui dum largam domum ad hospitandum quaereret, quae comitatum illius totum ferre potuisset, et vix inveniret, aspexit eminus

domum congruentis magnitudinis, eamque sibi praeparari ad hospitandum jussit. Cumque ejusdem loci incolae dicerent, in ea hunc manere non posse, quia multis jam annis hanc diabolus inhabitaret, atque ideo vacua remansisset, vir venerabilis Datius respondit, dicens: Imo ideo hospitari in domo eadem debemus, si hanc spiritus malignus invasit, et ab ea hominum inhabitationem repulit. In ea igitur sibi parari praecepit, securusque illam, antiqui hostis certamina toleraturus, intravit. Itaque intempestae noctis silentio, cum vir Dei quiesceret, antiquus hostis immensis vocibus magnisque clamoribus coepit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus asinorum, sibilos serpentium, porcorum stridores et soricum. Tunc repente Datius tot bestiarum vocibus excitatus surrexit, vehementer iratus, et contra antiquum hostem magnis coepit vocibus clamare, dicens: Bene tibi contigit, miser, tu ille es qui dixisti: Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo (Isai. XIV, 14); ecce per superbiam tuam porcis et soricibus similis factus es; et qui imitari Deum indigne voluisti, ecce, ut dignus es, bestias imitaris.

Ad quam ejus vocem, ut ita dicam, dejectionem suam malignus spiritus erubuit. An non erubuit, qui eamdem domum ad exhibenda monstra quae consueverat ulterius non intravit? Sicque postmodum fidelium habitaculum facta est, quia dum eam unus veraciter fidelis ingressus est, ab ea protinus mendax spiritus atque infidelis abscessit.